

Ya  
583

Brömet: De archivo Amstelensi





VIR EXCELLENTISSIME.

AD

DN. CASP. SAGITTARIUM

SS. Theolog. Doct. Historicum Ducalem  
Saxonicum, & Prof. Publ. Celeberrimum

DE

ARCHIVO ARNSTETENSI  
SWARTZBURGICO

EPISTOLA

M. CHRIST. HEINR. Brömels  
P. S. M.


J E N Æ  
LITERIS KREBSIANIS.



179



## VIR EXCELLENTISSIME.


 Uemadmodum laborem Tuum in  
 illustranda Historia Thuringica ha-  
 tenus utilissimè sumtum bonus  
 quisque prædicat, operique absol-  
 vendo vires & fortunam precatur: ita desi-  
 derium Tuum æquissimum, quod ex Te se-  
 mel iterumque audivisse memini, ut scilicet  
 ad explendos Annales Thuringicos, Archi-  
 va Illustria & Tabulæ sanctiores magis pate-  
 ant, cuilibet ut probetur, necesse est. Quod  
 quando mihi in mentem venit recordari, in  
 laudes & vota *Illustrissimi atque Celsissimi*  
*Comitis ac Domini, DN. ANTONII GVN-*  
*THERI, S.R.I. Quatuor Viri, Comitis in*  
*Svartzburg & Hohnstein, Dynastæ Arn-*  
*steti, Sondershusæ, Leutenbergæ, Lohræ &*  
*Klettenberg & c. Comitis ac Domini nostri*  
 gra-

gratiosissimi totus effundor, Patriæque gratulor, tantum literis excolendis contigisse Patronum. Etenim haud Te latere potest, quàm reconditis historiæ antiquitatibus insigniter faveat, insolitoque prorsus exemplo quid vetus ætas tradidit, quid inclinata attulit, quid nostra suppeditat, in numerato habeat. Quapropter in libros rariores & selectiores numos profusos sumtus facit, quorum numerum & apparatus nuper ex Belgio feliciter redux, nimium quantum auxit, & tam accuratè perlustravit, ut vix æquè possent, qui longo usu exercitationeq; discunt. Illud majus est, multosque in admirationem rapit, quod in cognoscendis antiquitatibus Illustrissimæ Gentis suæ & monumentis domesticis, inter gravissimas Reipublicæ curas, animum allevare satagit. Quare antiqua & sanctiora domus suæ diplomata à tineis & blattis vindicari, & illorum copiam sibi fieri, clementissimè jussit, idque negotium Consiliariorum non nemini commisit.

fit. Cujus auspicio ductuque dexterrimo, elegantissimus labor feliciter successit, atque insignium antiquitatum, Thuringicarum cum primis, monumenta suppeditavit. Quoniam namque diplomata quæ MSSa servantur, confinium mediæ & ultimi ævi contingunt, istius ætatis historiam illustrant, & documenta indubitata exhibent, ex quibus quædam præsumi, alia colligi, plurima sciri possunt. Certissimus inde historię Genealogicę character sumi, continuusque Familiarum in Thuringia non Illustrium solum, sed & Nobilium, illarum quoque quę orbitate aut casu ad verso deletæ, vix nomina reliquerunt, nexus expleri potest. Nec minus sexus sequior, & necessitudines mutuę, in quibus colligendis diligentissimi etiam Originum Illustrium animadversores in novos subinde scopulos impingunt, lucem accipiunt, si manifestę fidei diplomata contulerimus. Aliunde constat, quàm de Familiis (ut vel has solum commemorem) *Svartzburgica* & deficientem

te

te dudum *Kevernburgica*, sententiis & ratio-  
nibus diu sit variatum, pro una eademque a-  
liis, aliis pro diversa prolapia dimicantibus.  
Unam eandemque verò, nec nisi lineis diver-  
sis distinctam esse, ex Tabulis nostris MSSis  
haud falsis indiciis colligimus. Præterquam  
enim quod pristina utriusque insignia ap-  
prime convenerunt, multasque ditiones  
nunc alternative, nunc communi jure utra-  
que familia superstes possedit, auctoritate  
Tabb. 1308. & 1342. annorum, necessitudo  
proxima, verbis perspicuis etiam plus vice  
simplici asseritur. Sic in diplomate anno 1289  
*Guntherus Comes Senior in Kevernburg, Pa-  
truum suum vocat Guntherum Comitem de  
Svartzburg. Vicissim Tab. an. 1263 Gunthe-  
rus Comes de Svartzburg appellat Patru-  
um suum Guntherum Comitem de Kevern-  
burg. Iterum Tab. anni 1301. Guntheri Comi-  
tis in Svartzburg sorores memorantur Eli-  
sabetha Monialis Ilmensis & Adelheydis Co-  
mitissa in Kevernburg, Domina in Arnstete.*

Commodè dum Monialis illustris mentio oc-  
currit, huc refero, quantum tenebricolæ  
Monasteriorum Thuringicorum notitiæ lu-  
cem conferant diplomata nostra, unde de  
Officiis Monasticis, fundationibus, donatio-  
nibus, redditibus, superstitionibus, advocatiis  
& similibus rectius constare, prolixaque Ab-  
batum, Præpositorum atque reliquorum Of-  
ficialium in utroque sexu aliquot Monaste-  
riorum series colligi posset. Qui res Heraldic-  
as altius scrutantur, habent ubi in figillis Ta-  
bularum pedem figant, atque insignium ra-  
tiones non ex ingenio, sed ex rerum acto-  
rumque monumentis petant. Haud spernen-  
da quoque fuerit Titulorum structura pro  
seculi ambitionis ignari indole, nunc aucta,  
nunc immutata, quæ Familiarum splendo-  
rem illustrat magis quàm foedat. Nec quem  
offendat obscura vernaculæ dialectus, quæ  
multas voces obsoletas aut hodieque in Iure  
Feudali cum primis usitatorum originem pri-  
scam & etymon prodit. Quid quod fastos  
istius



istius ævi & feriarum atque Divorum in vernacula elogia hinc cognoscuntur? Sanè ut hoc obiter notem, constanti Menologiorum more, *Martyrum & Confessorum* titulos Germanis quoque sollicitè distinctos fuisse, ex evolutione diplomatum sæpiusculè constitit, in quibus illi *Merterer*/hi verò *heilige Bich-tiger* audiunt. Lubens prætereo monetæ veteris non faciem quidem, sed valorem, iudiciorum rituumq; ac formularum forensium varietatem & simplicitatem, atque singularem dictionis characterem & differentiam. Commerciorum & mercaturæ in his regionibus rationes & incrementa notam omnino merentur: unde Judæis frequentatam fuisse Thuringiam, vel illud argumento esse poterit, quod anno 1428. in oppido haud procul a nobis distito, Ilmena, indultu Magistratus Synagogam extruxerunt, quam demum 1442. Henricus Comes de Swartzburg spe vana meriti, in sacras Christi ædes convertit. Quo pertinet, quod aromatum monopolia defi-

Ya 5852K

definito censu annuo, civibus concessa fuerunt, unde frequens mentio Pfeffer-Zinbes / Saffran-Zinbes &c. Cujus census pretium eo usque crevit, ut Adelheydis Comitissa in Kevernberch, de consensu dilecti fratris sui Guntheri Comitis de Svartzburg, & Patru sui Comitis Henrici de Blanckenberg, dilecto Patruo suo, fratri Gunthero de Svartzburg Provinciali terra Culmensis vendiderit IV. Talenta Erffordensium denariorum annui census de Kramis in Arnstete annis singulis in festo S. VV alburgis & B. Michaelis ab institoribus Johanne & Theodorico solvenda. Sigillatim aliquot urbium vicinarum Topographiam haud mutilam & numeris annorum distinctam subsidio diplomatum construere facile esset. In universum status seculi tertii decimi adulti in Thuringia quoque turbidus, fortuna inclinata & funesta inter regni vestigia ex sanctionibus pragmaticis, transactionibus initis atque tabulis pactorum & divisionum ritè hic judicari justisque temporum intervallis distingui potest. Quæ summa rerum capita, cur Tuo maximè judicio, VIR EXCELLENTISSIME, subjiciam, vel hæc sola ratio sufficiat, quod Te aliquandiu in his literis Ducem atque Doctorem nactum me esse, grata semper mente recordor. Ingrati insuper & tantum non temerarii crimen sit, Tuo absque arbitrio quicquam hoc in negotio moliri, qui curâ Tuâ in antiquitatibus nostratibus nunquam satis laudata, universam rem literriam, patriam omnemque posteritatem dudum Tibi obstrinxeris. Quas ut ex animi sententia absolvas, omniumque desiderio satisfacias, illibatas animi corporisque vires largiatur DEVS. Dabam Maroldishusæ  
VI. Kal. Febr. M DC XCII.

Handwritten notes and signatures at the bottom of the page, including a large 'W' and other illegible scribbles.



**ULB Halle**

3

004 975 537





DN. C

SS. Theo

Saxe

ARCH

M. CH

TARIVM

n Ducalem


rimum

ETENSI

ICO

A

Brömelz



Kodak

LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

3/Color Black

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

